





17

EXERCITATIO ACADEMICA

DE

81  
7

# IMPUTATIONE SOLVTI EX PLVRIBVS NOMI- NIBVS 1727,5

Von

Anrechnung der Bezahlung bey mehrern  
verhandenen Schuld-Bosten.

QVAM

SVB PRAESIDIO

DN. HENRICI HILDEBRANDI ICTI  
SERENISS. DVCIS SOLISBACO-PALATINI  
PARITERQ. PERILLVSTRIS REIP. NORIMB. CONSIL.

ITEM ET IN HAC ALMA STVDIORVM VNIVERSITATE  
COD. IVRISQ. FEVD. PROF. PVBL. ET ACAD. SEN.

PATRONI ATQVE PRAECEPTORIS SVI  
OMNI HONORIS CVLTV AETATEM

PROSEQVENDI

AD D. XVII KAL. SEPTEMBR. A. R. S. CIC 1000XXVII  
IN CIRCULO ACADEMICO

DEFENDET

IOHANNES ALBERTVS SPIES NORIME.  
PHILOS. MAG. ET IVR. CVLT.

ALTORFII

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOR.





EXERCITATIONIS ACADEMICAЕ

DE

IMPV TATIONE SOLVTI EX PLV-  
RIBVS NOMINIBVS

SECTIO I

DE IMPVTATIONE AB IPSO DEBITORE  
VEL CREDITORE FACIENDA.

I.

**P**raesenti hoc in Exercitio Academicо mens et intentio Prooemium quidem non est nostra, discutere omnem debiti atque crediti materiam, nec eiusdem accidentia, alias non minus peculiari tractatione digna, ut diem et locum. Ratione illius, diei nimirum, neque creditor, ante tempus, debiti solutioni praefixum, penitus elapsum, citra pluris petitionis poenam, agere potest, §. 2 Inst. de V. O. L. 41, §. 1. L. 42 D. eod. tit. et §. 33 Inst. de act. Reform. Nor. Tit. XIII, Leg. II, vers. Wann ainein etc. et Tit. VI, Leg. V, versic. Erstlich etc. nisi debitor sit morolus in usuratum praestatione, vel bonis labi incipiat, Mev. Part. I, Decis. 73; nec debitor creditori invito, ante tempus conventum, debitam pecuniam obtrudere debet: quia intra tempus non statim est occasio creditori, numeros suos foenorū exponendi, Rhet. in medit. ad Inst. tir. de obligat. quae re contr. §. 18. nisi, vel huic suae anticipationi fortis solutae usuras debitas addat, vel pacta resignatio rite fuerit observata, et tempus huic praefinitum penitus elapsum; wann nemlichen bedungen / daß das Capital intra tempus certum eines Biertheil- oder halben Jahrs/ eines oder andern Scheits/ zuvor aufgekündigt werden solle/ und diese Zeit nach erfolgter Löskündigung bereits verflossen. Stryck. de cautel. contract.

A 2

Sect.

*Sect. II, Cap. I, §. 17 et 19.* Huius, nempe loci adiecti, intuitu, creditor pariter non nisi in loco, solutioni destinato, eandem urgere valet, §. 33 *Inst. de action.* L. 8 *C. de solut.* Reform. Noric. *Tit. VI, Leg. V, versc.* Cum dritten etc. nisi forte debitoris parum intersit, alio loco solvere; Sichard. *ad cit. L. 8, n. 6.* vel hic ad locum solutionis plane non veniat, *L. 1 et seqq. D. de eo,* quod certo loco dari oportet. Sed eam duntaxat solutionis partem in praesenti ventilandam constituimus, quae saepius debitori atque creditori praebet ansam atque occasionem altercandi; si nimirum plures crediti et debiti caussae simul existant, et solutio, a debitore facta, duntaxat ad unum creditum tollendum sufficiat; in quodnam praecipue debitum, ex Legum praecripto, solutum sit imputandum, et num hoc ipsum pro arbitrio et electione creditoris, an debitoris, acceptum atque datum ferendum? Quod argumentum cum non nulli textus Iuris, postea adducendi, nobis suppeditarunt, simulque horum uberiorem explicationem heic tentandam suaserunt; visum nobis est, hoc Thema paulo penitus sequentibus Thesibus dilucidare, hasque ipsas, exercitiis ac disputandi gratia, in medium proponere.

## II.

*Quid genera-*  
*varia in tu-*  
*re signif. et*  
*imputare;*  
*et varia im-*  
*putationis*  
*genera.*

Solutum a debitore referre in hoc, vel illud creditum, sive principale, sive accessorium, gravius, aut antiquius, leviusve, nec non in fortem, aut usuras, dicitur alioquin in Iure nostro *imputare in creditum.* Tametsi enim verbum *imputandi* accipiatur multifariam, et denotet, vel accepta a parentibus post mortem eorundem in portionem hereditariam, et speciatim in legitimam, computare; id quod alias sub collationis vocabulo venit: unde filiabus dos a parentibus accepta, filiis vero donatio propter nuptias, *L. 1 et t. t. D. de dot. collat. L. 17 et L. 19 C. de collat.* Ref. Nor. *Tit. XXXVI, Leg. 1, vers.* Und fann also etc. & *Leg. II in princ.* aliaque ad eosdem liberos a vivis parentibus translata, et mortis tempore adhuc in illorum bonis existentia, *L. 6 C. de collat.* *imputantur*, utut sint ipsis a parentibus donata, *L. 25 princ. D.*

de

de inoffic. testam. L. 29 et L. 36 pr. C. eod. Tit. et cumprimis L. pen. §. 1 C. de collat. vel alioquin ultra portionem virilem coniugi secundi matrimonii obvenientia, L. 6 C. de secund. nupt. Immo sic etiam in Falcidiae Trebellianicae imputationem praegata, et conditionis implendae gratia relictia, veniunt, L. 91 D. ad Leg. Falcid. Nec minus porro sorti creditoris antichretici imputari solent fructus, ultra legitimum usurarum modum percepti, L. 8 D. in quib. caus. pignus vel hypoth. tac. contr. L. 14 et L. 17 C. de usur. Reform. Nor. Tit. XX, Leg. IV. Berlich. P. II, Decis. 170, num. 25. Lauterbach, in *Dissert. Tubing. Volum. I.* thes. 46; haud secus, atque alias usurae, contra leges ac mores provinciae solutae, imputationi in sortem sunt obnoxiae, L. 26 princ. D. de conduct. indeb. et L. 18, L. 26, §. 1 C. de usur. quod tamen secus est de Iure Norico, Tit. XIII, Leg. III, vers. fin. Denique etiam verbum *imputandi* dicitur pro computare et subducere expensas a rationibus, in L. 1, §. 4 D. de tutelae et ration. distractab. Hotmann, in *Lexico iurid. sub verbo imputandi*. Hoc loco tamen, et in nostro Themate, potissimum pro solutione et satisfactione creditoris accipitur; dum id, quod solutum est, in nomina, sive sortem usurasque, cedere debet, vel ab hisce decedere, L. 1, 2, 3, 4 et 5, §. 3. D. de solut. nec non L. 97 eod. tit. Sive ergo id, quod a debitore creditori subinde solutum est, appellare quis velit imputationem, vel solutionem, et debiti iam factam praestationem, perinde erit; dum eo modo creditor partem sui crediti vel accepit, vel huius intuitu ipsi iam tum est satisfactum, et debtor liberatus existimatur, arg. L. 9, §. 3 D. de pignoratis. actione, et L. 52 D. de solut.

## III.

Hinc igitur praesens nostra imputatio facile ita poterit de- scribi, quod sit facultas moralis, iure quaesita, in casu plurium debitorum, sive nominum, exprimendi ac determinandi, quam in caussam solutum, vel acceptum referri, vel datum esse, debeat, L. 1 usque ad 8, L. 89, L. 97, L. 101 et 102, §. 1, et L. 103

*imputatio-*  
*nis soluti-*

A 3

D. de

*D. de solut. et liberat. nec non L. i C. eod. Tit.* Supponimus ergo plura nomina, sive credita, simul existentia: ita, ut vel debitor primum electionem et determinationem habeat, in quodnam creditum solutum datum, praestitunque esse velit; vel, si hic istud facere praetermisit, tunc creditor sua electione arguat atque indicet, quam in causam ex pluribus creditis, sive in quod debitum, aut creditum, solutum ipse acceptum referat; vel denique, si a neutro eorum determinatio causae fuerit facta, in quam solutum sit imputandum, tunc secundum Iura definiri queat, in quod nomen ex pluribus simul existentibus solutio facta intelligatur. Sichardus, *ad cit. L. i C. de solution.* Paulus de Castro, *ad L. i. D. eod. Tit. et Hartmannus Pistor, Lib. III, Quaest. 21.*

## IV.

*De imputatione ab ipsis debitoribus facta.* Primum omnium igitur concedunt Leges in solutione facienda debitori facultatem, si uni creditori ex pluribus causis, pluribusque ex obligationibus, est devinctus, eligendi ac determinandi, in quam causam, et quodnam in creditum, id, quod solvit, datum esse velit, secundum verba Leg. I. C. de solut. Ibi: *In potestate eius est, qui ex pluribus causis pecuniam debet, tempore solutionis exprimere, in quam causam reddat.* Cui sancito concordat etiam Vlpianus, in L. i Dig. de solut. *Quotiens*, ait, *quis debitor ex pluribus causis unum debitum solvit; est in arbitrio solventis, dicere, quod potius debitum voluerit solutum: et, quod dixerit, id erit solutum.* Possimus enim certam legem dicere ei, quod soluimus. Atque adeo haec electio debitoris contingit primo tali in casu: si nimirum Caius debitor Titio obligatus sit ex diversis causis, sive contractibus, pactisve aliis, v. g. ex mutuo C aureos, quos debet Titio sub fideiussore; deinde ex causa empti eidem Titio itidem C aureos, et rursus alios C ex donatione. Cum autem tempore solutionis non possit istam tergeminam obligationem extinguere tollereque una satisfactione ac solutione; offert Titio duntaxat C. Tunc itaque ipse Caius debitor arbitrium habet, demonstrandi atque exprimendi, in

in quodnam ex tribus hisce debitibus solutionem cedere velit ; et, quod dixerit, id erit solutum , definiente Vlpiano, in *cit. L. I D. de solut.* et Paullo, in *L. 101, §. 1 eod. tit.* Deinde etiam , si debitor, qui solvit, in sortem se dare commemoravit ; solutum in usuras referre minime poterit creditor, secundum Scaevolam, in *L. 102, §. 1 D. de solut.* Quaero, inquit, pecunia data, utrum usuris cedere deberet, quod petitor defenderet; an vero sorti proficeret? Respondi: si, qui dabat, in sortem se dare, dixisset; usuris non debere proficere. Immo Gaius debitor porro ita potest solvere, ut unum duntaxat ex fideiussoribus liberet, *L. 5, §. 1 D. de solut.* ubi Vlpianus ait : *Si duos quis dederit fideiussores; potest ita solvere, ut unum liberet.* Idem quoque obtinet, si debitori, ex pluribus causis creditor i devincto, obveniat nomen et creditum , vel ex legato , vel ex fideicommissio , erga creditorem suum ; ut ipse possit compensare pro arbitrio eiusmodi debitum, quod ipsi maxime commodum fuerit vilum compensare : quia compensatio solutionis vicem subit. Mev. *P. I, Decis. 116.* Enimvero hoc, quod modo asseruimus de debitoris electione, intelligendum est, si totum debitum causae electae a debitore Caio solutum fuerit : id enim solum creditor invitus recipere tenetur. Secus autem est, si partem tantummodo causae electae solvere contendat ; cum nemo, citra suam voluntatem , cogatur partem crediti accipere , ob multa incommoda , quae particularis solutio secum fert, *L. 3 D. famil. hercisc. L. 41, §. 1 D. de usur. et fruct. et L. 9 C. de solut.* Admittenda tamen nihilominus foret particularis solutio a Titio creditore invito ; vel, si unum ex pluribus hisce creditis fuerit aliqua ex parte illiquidum : eo enim in casu, potest debitor, invito licet creditori, tantum partem, nimirum eam, quae est liquida, solvere, et illiquidam futuro iudicio committere liquidandam, *L. 21 D. de rebus cred. ibique Brunnemann.* Mev. *P. III, Decis. 226, n. 3;* vel, quando iura et Leges debitori particularem solutionem concedunt, *L. 85 D. de V. O.* uti e. g. debitoribus iniuria

juria belli tricennalis depauperatis. *Recess. Imp. noviss. de A. 1654.*, §. So viel nun ic. 172 et seqq. Porro etiam memorata debitoris electio, invito creditore, exceptionem admittit in iis creditis, quae speciali privilegio sunt munita, adeo, ut omnem exceptionem, solutionis differenda causa, excludant: qualia, nostro iudicio, sunt debita ex Cambiis solvenda, *Wettisel-Schulzhen / Rec. Imp. de A. 1654, §. 107.* Berlich. P. II, *Decis. 294.* et Carpzov. in *Iurispr. Forens. Part. I, Constit. 32, Definit. 69 et 70;* item debita ex instrumento depositi praestanda, *L. penult. C. depositi. vel contra; §. 30 Inst. de act. Ref. Noric. Tit. XV, L. II, versic. ult. ut et ea, quae ex legato piae causae debentur, §. 26 Inst. de actionibus.*

## V.

*An haec debitoris electionem, hactenus a nobis assertam, ita simpliciter ad-  
mitte; etiam creditoris accep-  
tatione, non debere; sed duntaxat creditoris tacito consensu, et  
denterum con-  
fessum, effi-  
cax sit?*  
*Rationes  
dubitandi.* Dantur quidem nonnulli interpretes Iuris, qui statuunt, debitoris electionem, hactenus a nobis assertam, ita simpliciter admettere; etiam creditoris acceptatione, non debere; sed duntaxat creditoris tacito consensu, et denterum confessum, efficacax sit? Namque, aiunt, si ipsi creditori fuerit visum contradicere, et in aliam potius causam solutum accipere; alter alterum impediret, et solutio in nullam causam cederet, neque etiam, propter hunc eorundem dissensum in causa, quaedam liberatio inde sequeretur: dum solutio fieri non posset, aut, si facta adeo foret, pro non facta habenda esset, usque adeo, ut creditor pecuniam illam solutam penes se amplius non retinere, sed illa repeti a debitore, queat. Quamobrem ad hoc, ut debitoris electio valeat, et solutio in causam ab eo demonstratam censeatur conversa, exigunt interpretes Iuris, ut creditor, vel expresse consentiat electioni, vel saltem silentio suo eandem ratihabeat. Tunc enim in causam electam ab iisdem existimatur facta solutio. Creditore autem contradictente, atque ita dissensum suum declarante, quod in causam istam, a debitore expressam, solutum admittere nolit, sed potius in aliud debitum illud acceptum malit referre; tunc factam solutionem inutiliem nullamque iudicant, nec pecuniam creditoris

pro-

proprietati cessisse, contendunt. Et, si pecuniam adeo accepisset neque tamen consenseret electioni; deberet, ex ipsorum iudicio, eandem restituere debitori, nec posset, hoc invito, eam retinere, ob hanc cumprimis rationem: quia, cum quis rei suae dominium non nisi ex una ac certa causa in alterum vult transferre, hic vero illam recipit ex alia causa; sane, propter diversitatem consensus, nulla possit contingere dominii translatio, sed data in aliam causam pecunia maneat solventis propria, *L. 18 D. de rebus credit.* quandoquidem actus agentium non operentur ultra intentionem eorum, qui aliquid agunt. Asseclae huius sententiae, post *Gloss. in voc. debitum*, et *Bartolum., num. 8*, cumprimis sunt Ioh. ab Imola, et Paulus de Castro, in *L. 1 D. de solut.* Moventur autem primum textu *Legis II D. de solut.* Nam ex verbis ICti Florentini: *ut, vel creditori liberum sit, non accipere, vel debitori, non dare, si quis eorum alio nomine exsolutum velit;* colligunt, quasi in potestate creditoris sit, cum debitor causam, quae ipsi non placet, elegerit, non accipere, aut contradicendo impedire solutionem, et huius liberationem: cum praefertim ICTus, in *cit. L. 2*, si creditor in aliam causam solutum esse velit, nullam aliam eidem videatur concedere facultatem, quam non dare. Hoc ipso enim arguunt, creditorem invitum cogi non posse, ut solutum in eam causam, quam debitor velit, imputet. Deinde porro adducunt, quod in *L. 18 D. de reb. credit.* enuntiatum extat, dissensum nempe in causa translacionem dominii impedire: quamobrem, nec liberationem in dissensu partium contingere posse, arbitrantur. Praeterea etiam prouocant ad *L. 3 D. de pignorat act.* ubi dicitur, quod is, qui spe futurae numerationis pignus reddiderat debitori, solutione ob dolom intervenientem non secuta, possit idem pignus actione furti repetere: unde pari ratione eum, qui in certam causam solutionem praestitit, libratione ob dissensum non secuta, pecuniam a creditore repetrere posse, autumant; eo magis, quod ab initio liberum erat, non dare, secundum verba ICti, in *L. 2 D. de solut.*

## VI.

Rationes  
decidendi.

Verum, hisce dubiis, et rationibus in contrarium adductis, omnibus plane nihil officientibus, manet et stat firmo tali nostra superior sententia. Quale enim, quaeſo, debitoris eligentis arbitrium, quaeve potestas, eſſet, quam creditor suo diſſensu poſſet impediſcere? Adhaec I Ctuſ Scaevola, in L. 102, ſ. 1 D. de ſolut. creditore contendente, pecuniam ſolutam uſuris cedere debere, ſi iſ, qui dedit, in ſortem ſe dare dixiſſet, uſuris non debere proſicere, aperte adſtruit; eoque ipſo ſatiſ declarat, diſſenſum creditoris haud obſtare, quo minus in ſortem, ut dixerat debitor, pecunia ſoluta intelligatur. Neque enim in hac Lege diſtinguitur, utrum ſtatiu in iipaſ ſolutione, an vero poſtea de- mu, contradixerit creditor; ſed generaliter loquitur Iureconſultus. Deinde etiam valde aſſertum noſtrum iuvat eiusdem ICti reſponſum, in L. 15 D. quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv. quod nimirum debitor illi, qui prioris et posterioris creditoris heres factus eſſet, posterius debitum poſſit offerre, creditoremque cogere, ut illud accipiat. Quod ſi enim ad hoc, ut accipiat, invitus cogi poſteſt creditor; utique contradictione ſua, quo minus liberatio ex ſolutione iam facta contingat, efficer haudquaquam valet. Confirmatur porro ſententia noſtra iis iuribus, quibus conſtitutum legimus, creditorem, cui debitum offertur, vel invitum cogi poſſe, ut pecuniam accipiat, aut ſaltem, pecunia deposita, debitorum ſuam, ipſo adeo invito, liberi- rari expectet, L. 9 C. de ſolut. L. 19 C. de uſuris. Siſhard. ad L. 1 C. de ſolut. haud ſecus, atque ipſe debitor, alio pro eo ſol- vente, etiam invitus liberatur, princ. Inſt. quibus modis tollitur obligatio; L. 91 D. de ſolut. et L. 39 D. de negot. geſt. Hinc manifestum evadit, diſſenſum creditoris vix ac ne vix quidem im- pedimento eſſe poſſe, quo minus ex ſolutione debitoris liberatio exiſtat; modo ſolutio alias rite fuerit facta: quemadmodum in proposito caſu debitori permifſum eſt, ut in ſolutione cauſam ex- primat, ſicque cauſam iſtam coſmemorando, legitime in ean- dem ſolutionem faciat.

## VII.

## VII.

Proinde textus Iuris, quibus contrariae fententiae patroni (*ceu supra adduximus*) nituntur, vel ideo thesin nostram non feriunt; nec quidquam, quod effectum electionis debitori competentis, a nobis hactenus defensum et rationibus comprobatum, debilitet, vel adeo elidat, evincunt. Nam *Lex II D. de solut.* agit solummodo de eligendi tempore, non autem de electionis effectu: siquidem ICtus Florentinus responsum ICti Vlpiani, in praecedente *Leg. I* contentum, quod scilicet debitor, vel creditor, eligere debeat, aut statim, atque solutum est, declarare, alterutri ibidem alias eligendi facultate concessa, duntaxat clarius exprimere voluit, et tempus indicare, quo, vel debitor, vel creditor, electionem suam exercere debeat; dum videlicet, ex parte debitoris, siquidem is eligere vellet, adhuc ei integrum es-  
set, ut, si creditor in causam ab ipso expressam consentire nollet, plane non daret: similiter, ex parte creditoris, postquam, debitore non eligente, ad eundem electio translata fuerit, ut ipse, si velit eligere, hoc statim atque eo tempore faciat, quando ad-  
huc liberum ipsi est, si debitor in aliam causam solutum esse ma-  
lit, non accipere: quod nihil aliud arguit, ac si dixisset ICtus, debitorem, antequam dandi actus, creditorem vero, priusquam accipiendi actus perficiatur, eligere debere. Vnde hic sunt supponendi termini habiles, quod nempe praesens textus, in contra-  
rium allegatus, duntaxat de tempore, quo ius istud eligendi a debitore, vel creditore, sit exercendum, agat; minime vero de eo, cui electio competat, et an alter contradicendo alterius elec-  
tionem impedit queat, sollicitus sit: neque contra electionis naturam hoc inferre exinde licet, creditorem contradicendo pos-  
se debitorem ab electione sua deturbare. Id quod, nec verbis textus consentaneum, nec indoli electionis, et arbitrio debitoris solventis, in *L. anteced. I D. de solut.* stabilito, conveniens est: et solummodo, tam non dandi facultas, ex parte debitoris, quam non accipiendi, ex parte creditoris, ad exprimentum eligendi

tempus, in dicta L. 2 D. de solut. consideratur; ceu satis legaliter monuit et declarauit Hartm. Pistor, Lib. III, Qu. 21, n. 5. V. III.

*Item ad L. 18 D. de reb. credit. et L. 3 D. de pignorat. act. 3.* Nec obstat porro L. 18 D. de rebus creditis. Loquitur enim de mutuo contrahendo: ad quod cum reciprocus utriusque partis consensus requiratur, mirum non est, si tum, quando in causa dissentient contrahentes, nulla exinde oritur obligatio; quandoquidem consensus non reperitur contractus in idem placitum. Verum enimvero ad liberationem, quam solutio de iure parit, tantum abest, ut creditoris consensus necessarius habeatur, ut etiam eodem invito illa possit contingere, per L. 9 C. de solut. et arg. princ. Inst. quibus mod. toll. oblig. nec non L. 1, §. 36 D. depositi. Similiter haud refragatur sententias nostrae textus L. 3 D. de pignorat. act. supra allegatus: quia loquitur de casu, quo solutio a debitore rite facta non est; unde creditor recte repetit pignus, quod sub spe recipienda solutionis promissae reddiderat. In nostro autem casu praesenti, solutio a debitore in causam electam legitime facta est, quam etiam invito creditore liberatio sequitur. Nullam igitur iustum repetendi causam habere poterit debitor id, quod in causam legitimam solutum esse voluit: nisi creditor solutum sponte sua reddere potius, quam permittere vellet, ut liberatio a causa, per debitorem expressa, sequatur, et debitor quoque pecuniam suam solutam recipere mallet, quam creditori invito solutionem obtrudere; quod omnino utrique est integrum: atque hac ratione circumducto solutionis actu, utriusque voluntate, liberationem impediri, manifestum est. Quemadmodum enim ab initio liberum est debitori, si creditor in aliam causam, quam ipse expressit, solutum esse velit, potius non dare: sic etiam vice versa, in casu quo ad creditorem delata est electio, liberum ei pariter est, non accipere, si debitor in causam ab ipso expressam non consentiat, L. 2 D. de solut. Interim tamen hoc non efficit, ut, quando debitor in electione et demonstratione causae iure suo est usus, tunc credi-

creditor contradictione sua invitum debitorem cogere possit, quo, vel non solvat, vel solutum repeatat potius, quam ut a causa commemorata liberetur: quin potius debitor, recusante creditore solutionem, pecuniae obsignatione et depositione iudiciali (ceu supra dictum) sibi consulere, et semet ipsum a causa debiti, in quam solutum esse voluit, liberare potest, L. 9 C. de solut. et L. 19 C. de usur. nec non Bartolus, ad cit. L. I D. de solut. et Baldus, ad eundem textum.

## VIII.

Sciendum tamen est, hanc eligendi facultatem debitori *limitatur*  
*debitoris e-*  
*tunc demum competere; 1) si ipse hanc intra tempus legitimum letio: 1) us*  
*observaverit. Nimirum, in re praesenti, ut constituat, in quam iusto tempo-*  
*causam solutum esse velit, necessum est, monente ICto, in L. I re, et in ipso*  
*D. de solut. quod in L. sequ. 2 eod. tit. exprimitur hisce verbis: atque adiuc-*  
*dum in re agenda hoc fiat; ubi, non cum vulgata editione, le-*  
*gendum cum, sed secundum Pandectas Florentinas, dum, quod*  
*idem significat, ac dummodo. Vnde idem est, ac si ICti dicere*  
*voluissent, in continenti, sive in ipso adhuc solutionis actu, facien-*  
*dam esse electionem: siquidem verbum *agenda* est Participium*  
*praesentis temporis passivae significationis, quemadmodum pul-*  
*chre ostendit Hartmann. Pistor. L. III, Qu. 21, n. 7. Neque ta-*  
*men propterea negant ICti, quod etiam statim post solutionem*  
*eiusmodi declaratio fieri queat; modo illa in continenti adiiciatur:*  
*quia regulariter ea in continenti fieri, et ipsi actui inesse*  
*dicuntur, quae, vel in ipso negotio, vel paulo ante, vel paulo post,*  
*i. e. priusquam ad alium actum extraneum perventum est, fiunt,*  
*L. 40 D. de reb. cred. L. 27 C. de pactis, et L. 21 C. de usur.*  
*Hinc, si debitor, solutionem praestando, ex intervallo, postea-*  
*quam iam tum ante aliquot dies solvit, eligere et declarare ve-*  
*lit, in quam causam soluerit; hanc eiusdem declarationem et elec-*  
*tionem, ita ex postfacto intercedentem, creditor admittere*  
*non tenetur, L. 3 princ. D. de solut. cum paria sint in Iure, pla-*  
*ne non fieri, vel non rite fieri, arg. L. 6 D. qui fatisfare cog-*

B 3

Sichard.

Sichard. ad L. 1 C. de solut. n. 5. Vtrum vero praesens, an absens debitor, animi sui sententiam de eligendo exprimat, nihil refert; modo id fiat tempore a Lege praescripto, vel in ingressu five sub initium solutionis, vel in ipso actu, vel statim post solutionem factam, L. 21 C. de usur. et L. 7, §. 5. D. de pactis; nimis per epistolam, vel nuntium, ut hinc innotescat creditori, in quam causam solvere velit; recte sentiente Imola, in L. 1. D. de solut. cui potius hac in re ad stipulamur, quam Bartolo aliter existimanti, ad cit. L. n. 7. in fin. ex hac ratione, quia videlicet liberum sit creditor, contradicere. Haec enim ratio parum urget; cum legitima creditoris contradictione, aequa in absentia, ac in praesentia, fieri possit. Hartmann. Pistor. L. III, Qu. 21, n. 3 in fin. Brunneumann, ad L. 102. D. de solut. n. 3 et 5. 2) ad fundandam debitoris electionem porro exigitur, ut ipse solutionem praestet creditori: alioquin, si creditor ex pignore vendito pecunia redacta sibimet ipse satisfaciat; ad creditorem distrahitem potius, quam ad debitorem, spectat electio, secundum effatum Icti Paulli, in L. 101, §. 1. D. de solut. aientis: aliam causam esse debitoris solventis, aliam creditoris, pignus distractabentis. Nam, cum debitor solvit pecuniam, in potestate eius esse, commemorare, in quam causam solveret: cum autem creditor pignus distractabat, licere ei premium in acceptum referre, etiam in eam quantitatem, quae natura tantum debebatur. Add. L. 73 D. et L. 5, §. 2 eod. Tit. Id quod rationem juris in eo habet latitatem; quia pignus a debitore eo fine creditori censemur traditum, ut, solutione non secuta, sibi inde satisfaciat, §. 1 Inst. quibus alienare licet, vel non. Tametsi enim nulla pactio intervenierit de pignore alienando; tamen, ceu procurator et mandatarius debitoris, in euentu solutionis non secutae, sibimet ipse distractione pignoris consulere valet, L. 4 D. de pignorat. act. et L. 29 in fin. D. famil. hercisc. modo unicam denuntiationem testato fecerit, et postea expectarit per biennium, L. 4 C. de distract. pignor. et L. fin. §. 1 C. de iure dominii im-

petr.

petr. Hinc imputationem pretii, ex pignore vendito redacti, secundum voluntatem debitoris, recte facit creditor; cum utique illa ex pignoris constitutione satis inducatur.

## X.

Quod si vero debitor, hucusque a nobis dilucidata elecione sua, in imputatione soluti, non est usus, sed simpliciter atque indistincte solvit, neque dixit, quam in causam solutum sit accipiendo; convertitur electio pecuniae solutae imputandae ad creditorem, huiusque arbitrio permititur, cui credito solutum imputare ipse velit. Hoc enim fere in Iure ordinarium et solenne est, quod, si alicui sit concessa electio, et hic eadem non utatur, cum tamen ipsi illius exercendae occasio et facultas suppetat; eo casu in adversarium transferatur electio: quemadmodum vel in Capitulis Ecclesiarum atque monasteriorum, ubi habent electio nem Praelati, similiter fieri videmus, ut, si quando contingit, ecclesiam, vel monasterium, vacare capite, et ius eligendi ab iis non exerceatur, quibus competit, tunc in alium superiorem electio transeat facienda, Cap. 41 X. de electione et electi potest. Cap. Quanquam 18. de elect. in 6. Zoesius, ad Tit. X. de supplenda neglig. Praelat. n. 1 et 2. Nec minus idem observatur in herede, legato in genere gravato, L. 37, §. 1 D. de legat. et fideicommiss. 1: nam ipso non eligente, maxime, si voluntas testatoris legantis damnationis verbis, vel sinendi modo, in eligendo ad heredem fuerit restricta; ab herede ad legatarium devolvitur electio. Id quod adeo in praesenti imputatione soluti ex pluribus nominibus pariter usu venit; ut, si debitor non elegit, vel declaravit, in quam causam solvat, tunc ad creditorem ius eligendi atque imputandi convertatur, L. 1 D. de solut. et L. 1 C. eod. Tit. ibique Sichardus. Hoc autem circa electionem creditoris cumprimis in disquisitionem venit: num ipse aequa certum tempus electioni praefixum habeat, ac eodem circumscriptus est debitor; ita, ut similiter, vel ante receptionem crediti, vel in continentia in ipsa solutione, vel paulo post eandem, declarare

*De imputacione et elecione creditoris: et ana  
ea pariter ad certum tempus re-  
strictum sit?*

clarare debeat, in quod creditum ipse imputationem fieri velit? Fuerunt quidem non nulli, ceu Glossa meminit, in L. 3, s. i D. de solut. verb. dictum sit, existimantes, diversa esse atque separata eligendi tempora in debitore atque creditore: cum ille qui- dem debeat eligere, dum solvit, in re praesenti, vel statim, postquam solutum est; creditor vero, ubi debitor nihil dixerit, pos- sit semper, etiam quoad viveret, eligere et declarare, se nimi- rum in hanc, vel istam, causam solutum accepisse. At enim vero haec sententia omnino est reprobanda, prout etiam iam dudum ab aliis factum fuit; cum legislatio aliud disponens, in L. 1 et seqq. D. itemque in L. 1 C. de solut. sit tam aperta, tamque clara, ut nullam prorsus admittat dubitationem. Vnde et ipsa Glossa, reiecta ista opinione, creditori idem tempus ad elec-  
tionem praefinitum, rectius censet; exigens, ut creditor, im-  
putatione soluti a debitore praetermissa, ipse mox in continent, et priusquam ad alios actus perventum fuerit, eligere debeat, et  
commemorare, quam in causam ipse sibi solutum acceptum refer-  
re velit. Sicut enim electio debitoris, ceu supra demonstratum fuit, ex intervallo non admittitur: ita nec, ex simili ratione,  
interveniente post solutionem spatio aliquo, eandem creditori  
concedi, expediti iuris est. Sichardus, ad cit. L. 1 C. de solut.  
num. 9. Hartmann. Pst. Libr. III, Qu. 21, n. 12.

## XI.

*Imputatio a  
creditore  
semper fieri  
debet in du-  
riorem cau-  
sam: et quae  
buvis rei  
ratio.*

Neque vero haec creditoris electio illimitata est, sed modi-  
ficata, et ubique secundum Leges dirigenda: id quod in electio-  
ne debitoris secus provisum extat, utpote quae longe liberior de-  
prehenditur. Potest enim hic, sine discrimine, determinare  
mentem suam in solvendo, et dicere, quod solutionem, vel in  
hanc, vel in illam crediti causam, factam esse velit, sive durior  
illa sit, sive mollior: modo sit legitima, nec Iuri et forme  
contractus adversa; ut si, vel pecuniam reprobam, aut devalvatam,  
ab gewürdigtes Geld / vel, contra legem contractus, non atten-  
ta conventa, vel trimestri, vel semestri resignatione, ohne vor-  
bedun:

bedungene Auf- oder Lößkündigung/solvere contendat. Brunnen.  
ad L. 102 D. de solut. num. 1; et Mev. P. II, Decis. 203. Aſt  
vero creditoris electio plane aliter ſe habet; quia Leges eidem  
iniungunt, ut in caſu, quando debtor ex diversis cauſis ſolvendo  
ipſi ſatisfacit, ſolutionem factam imputare non poſſit, niſi in eam  
cauſam, quae gravior eſt, vel durior, id eſt, quae debitorem  
magis urget, L. 3 et L. 5 in pr. D. de solut. Cuius rei ratio,  
adducta a ICto, in L. 1 D. eod. Tit. haec eſt: quod aequiſſi-  
mum viſum ſit, creditorem ita agere rem debitoris, ut ſuam age-  
ret. Hinc permittitur quidem creditori, conſtituere, in quod  
velit ſolutum imputare; dummodo ſic conſtituat, ut in  
re ſua conſtitueret, ſi ipſe deberet, et ſeſe debito exoneraret, ſi  
eodem teneretur. Nam, quod ſibi eo in caſu cupit fieri, id de-  
bitori ſuo pariter ut faciat, neceſſum eſt, ſecundum aequiſſimam,  
tam Iuriſ Naturae, quam CHRISTI, Servatoris noſtri optimi ma-  
xiſi, regulam, contentam Matth. VII, 12 et Luc. VI, 31; et re-  
petitam in L. 1, ſ. 1 D. quod quisque iuris in alterum ſtatuerit,  
ut ipſe eodem iure utatur. Quod ſi enim creditor debitori ob-  
ſtrictus eſſet ex diversis cauſis, et ſolveret indiſtincte, non de-  
clarando, in quam cauſam ſolutum vellet acceptum referri; tunc  
in eam cauſam, quae ipſi eſſet utilior, et cuius ſolutione ſemet  
ipſum magis liberaret, ſolutio praefita cenſeri deberet. Ergo,  
quod in propria perſona aequum iudicavit creditor, illud etiam  
aequum iudicet oportet in debitore ſuo indiſtincte ſolvente; eam  
que ob rationem ſolutionem eiusdem accipere debet in eam cauſam,  
quae huic utilior eſt, et magis commoda. Atque adeo  
hunc in finem obſervandae ipſi ſunt in electione ſua qualitates  
nominum, quas Legiſlator, tanquam optimus rerum arbiter, ſolu-  
tione indiſtincte facta, attendandas praescripsit, et ſecundum  
quas, modo in hoc, modo in aliud creditum, ſolutio eſt reſe-  
renda: hasque ipſas qualitates creditor absolute ſequi neceſſum  
habet; cum non ab ipſius (uti dictum) ſed potius a Legiſ-  
latoris, ceu boni viri, arbitrio dependeat, ut ad huius legem

C

prae-

praescriptam electionem suam attemperet. Quanquam enim Iura, in L. 1 D. de solut. generaliter tantum volunt, ut in id solutum constituat creditor, in quod ipse, si deberet, esset soluturus: nihilominus tamen certam, eamque specificam, ipsi normam prae-finitam deprehendimus in L. 97 D. eod. Tit. quam proinde tran-silire nequit; quo eiusdem arbitrium non veluti in incerto vagetur, sed ipse, secundum praesumptionem Iuris, electionem suam or-dinare valeat, L. 3 et seqq. D. de solut.

## XII.

*Quibus mo-dis, et quo ordine, cau-sae duriores sive gravi-o-res dicantur?*

1) Ratione famae.

2) ratione poenae.

Immo haec qualitates nominum a creditore in imputatione so-luti eo iustius respiciuntur; quo magis eae ipsi rectae rationi sunt conformes: cum nemo praesumatur id solvere, a cuius exactione, vel tempore, vel alia ratione, tutus esse poterat; quaecunque alias debiti illius qualitas fuerit, arg. L. 25 in princ. D. de probation. et praesumt. Vnde, secundum L. 1 D. de solut. solutum duntaxat accipendum est in istud debitum, quod non est in controversia aut illiquidum; mini-mo vero in illud, cuius, nec dies venit, nec conditio existit, L. 3, §. 1 D. eod. Tit. neque etiam, de Iure Civili, in debitum na-turale tantum, L. 94, §. fin. eod. sed semper in graviorem, sive duriorem causam, solutum existimandum est. Gravior autem et durior causa non uno modo dicitur, neque sine ordine, sed suos quoque habet gradus. Et 1) quidem gravior causa habetur, ra-tione famae; cuius intuitu, in id potius, quod ex causa famosa, quam quod ex non famosa, debetur, solutum accepto ferendum est, L. 7 D. de solut. Menoch. Lib. III, Praesumt. 136, num. 1 et 2. Surd. Decis. 186, n. 4: ea tamen causa, quae, vel mem-brum, vel vitam hominis, attingit, famae causae semper est praef-ferenda, arg. L. 1 D. de bonis eorum, qui ante sentent. mortem sibi consci. Menoch. l.c. num. 3. Bartolus, in L. cum ex pluribus D. de solut. n. 2. 2) ratione poenae, aut alterius augmenti obliga-tionis; quare in eam magis causam, quae poenam continet, solutio imputanda, L. 4, L. 7 D. de solut. et L. 97 eod. tit. nec non in eam, quae initiatione in duplum crescit, cit. L. 7 D. de solut.

solut. 3) etiam durior causa existimatur, respectu satisfactionis, allusive cautionis: unde in id, quod sub hypotheca, vel pignore, vel datis fideiussoribus, debetur, prius solutum a creditore est ferendum, quam in id, quod sine eodem cautionis onere debetur, L. 4 et L. 5 D. de solut. L. 97 eod. Nec minus 4) istud debitum gravius putatur, quod proprio nomine est contractum, quam quod pro altero, fideiussorio nomine, quis debet: hinc quoque est, quod in illam potius, quam in hanc causam, solutio facta referatur, L. 4 et L. 97 D. de solut. Neque enim huic asserto adversatur L. 1 D. b. t. in verbis: *aut in illud, quod pro alio quis fideiusserat, aut cuius dies nondum venerat;* quasi talis sensus inde sit eliciendus, ac si solutio in eiusmodi debitum, quod fideiussorio nomine est contractum, vel cuius dies nondum venerat, potius accepto sit ferenda, contra seq. L. 3 et 4 D. de solution. Nam Bartolus, post Glossam, in cit. L. 1, pro verbis, *aut in illud, haist in illud legit;* et Cuiacius, Libr. V Observ. Cap. 4, trajecta negatione, ita legendum censet textum L. cit. 1: *non in id debitum, quod est in controversia, aut in illud, quod pro alio quis fideiusserat.* Vtraque, et Bartoli, et Guiacii, lectio, cui posteriori etiam Contius, Lib. I Disp. Cap. VII in fin. adstipulatur, commodum suppeditat sensum L. 1 D. de solut. concordantem cum L. 4 et L. 97 eod. quod nempe potior sit in ordine proprii, quam alieni, debiti causa, in quam solutum prae hac sit imputandum; dummodo tres illae debitorum cause, quas Papinianus, in L. 97 D. b. t. praemisit, in imputatione etiam a creditore praferantur, et demum post easdem proprii debiti ratio habeatur. Vnde nolunt interpretes asserunt Brissonio, de solut. Libr. I circa fin. proprium debitum in imputatione iisdem praferenti; quos inter est Bartolus, ad cit. L. cum ex pluribus etc. et Menochius, Lib. III, Praesumt. 136, num. 8. Nec quicquam officit, quod alibi ICti saepius alterum creditum alteri praeposuerunt; ceu in L. 1, L. 3, et L. 4 D. de solut. id factum videre licet. Cum enim in ipsis locis eo

3) ratione  
satisfactio-  
nis, vel cau-  
tionis.

4) ratione  
obligationis,  
vel princi-  
palis, vel ac-  
cessoriae ex  
fideiussione.

tantum respiciant laudati ICti , quae causa efficiat , ut in illam prius solutum existimetur ; non autem causam cum causa conseruant , aut de ipso causarum praeferenderum ordine , qui solum in L. 97 D. b. t. distincte atque ex professo a ICto Papiniano proponitur , solliciti sint : hinc utique in aprico est , omnia alia ICtorum responsa ex responso huius Papiniani interpretationem suam capere debere , huncque ordinem cumprimis in imputatione soluti tenendum esse . Hartmann. *Pist. Lib. III, Qu. 21, num. 21.*

## XIII.

5) Ratione  
executionis  
paratae.

6) denique  
ad gravio-  
res causas  
etiam perti-  
net debitum  
sub obſtagii  
paſto,  
iuriuſ Einla-  
geri aut ſub  
obligatione  
ad acores,  
promiſſum.

Denique etiam 5) ea credita , in imputatione soluti , ad du-  
riorem , sive graviorem , causam referenda existimamus , quae ex  
cauſa iudicati debentur , L. 7 D. de solut. et Bartolus , in L. 97  
D. cod. generaliter notat , id debitum videri prius solutum , quod  
paratam habet executionem . Atque adeo , post reliquas *in cit.* L.  
enumeratas species gravioris causae , huc pariter pertinet debitum , ex  
instrumento guarentigato exigendum ; Menoch. *Lib. III, Prae-*  
*sumt. 136, n. 7:* nec non ex literis cambialibus , *Wechsel-Brie-*  
*fen/* solvendum ; quia et hoc magis urget solutionem , L. 103  
D. de solut. *Recess. Imp. de A. 1554. §. 107.* Stryck , in *uſu mo-*  
*dern. II. Tit. de rerum permuat.* §. 15. Nec minus porro 6) huc  
spectat debitum , sub obſtagii paſto , zum Einlager / promiſſum ; quo , vel debitor principalis , vel accessorius , nempe fide-  
iūſſor , certo loco non prius ſe diſceſſurum pollicetur , quam ſolu-  
tio fuerit ſecuta : cuiuſmodi paſtum obſtagii , propter abuſus  
et comiſſationes concurrentes , prohibitum quidem eſt , in *Ord.*  
*Polit. de A. 1577, Tit. 17;* verum tamen , ubi excessus iſti pa-  
to ſunt praeculiſi , nihil mali continet , adeoque ſub tali prohibi-  
tione neutiquam comprehenditur : cum quis ſe vel ad ipſos car-  
ceres obſtringere valeat ; quidni igitur etiam ad eiusmodi reſtri-  
ctum diſceſſum ? Stryck , *de cautel. contract.* *Sect. II, Cap. I, §.*  
*37, et Cap. VI, §. 18.* Nam , ſecundum huius monitum , obliga-  
tio ad obſtagium vel ideo nihil vitii continet , quia alias Nobis-  
libus in Holſatia hic obligandi modus confirmari non potuſſet

Inſtru.

*Instrumento Pacis Westphal. Artic. 8, §. de indagand. in fin. Dn. Tabor, de Obstag. Cap. IV, n. 4.* Si enim illis, qui in diversorio, vi obstagii, se sistere tenentur, nihil amplius, quam necessaria alimenta praestentur; cessabunt omnia, quae in contrarium urgeri possunt. Idem enim hoc casu est, ac si quis ad personale arrestum sese obstrinxisset. Nihil autem frequentius est, quam ut debitor ad arrestum, in quounque loco, post moram, deprehensus fuerit, se obliget, formula satis nota: Ich gebe auch meinem Glaubiger volle Macht und Gewalt / mich/ im Fall der Nicht-Zahlung/ an allen Orten und Enden/ wo er mich antreffen möchte/ mit persönlichen Arrest zu belegen/ aus welchem ich vor gänzlicher Abtragung des Capitals samt den Zinsen nicht entweichen will.

## XIII.

Non est, quod quis ob restrictionem facultatis eligendi, creditori in Iure concessae, ad qualitates nominum antea memoratas, hanc eiusdem electionem velit prorsus inutilem et supervacaneam iudicare; cum ipse, secundum Iura superius adducta, solutum semper imputare debeat in causam duriorem sive graviorrem. Evidem, si ipsa Lex hanc electionem regulat ultro, et sine ministerio hominis; videtur sane illa plane inutilis evadere: quandoquidem eo modo Lex imposta est verbis, et non rebus, ceu Iura nostra exigunt. Vnde dispositio illa ubique nihil et inanis existet, contra L. 2 in fin. C. commun. de legat. ubi rebus, et non verbis, legem esse imponendam, Imperator decidit. Nec parum hanc obiectionem iuvat responsum Hugolini, antiqui Glossatoris, aientis, istam creditoris electionem plane esse futilem atque irritam: quia iam tum Lex disposuisset, in quam causam imputatio soluti fieri deberet, licet, neque debitor, neque creditor, quidquam hac de re monuissent; et sic omnis vis electionis in Iure incassum abiret. Quamobrem, ut huic dubio occurreret laudatus Hugolinus Glossator, adduxit quidem casum huncce, quo facultas illa eligendi, creditori concessa, utilis existat: nimirum,

*An et quan-  
do haec eli-  
gendi s. im-  
putandi fa-  
cultas cre-  
ditori utili-  
tatem praes-  
set?*

ubi creditor debitorem obnoxium haberet ex causa liquida leviore, et illiquida graviore; ut possit tunc graviorem eligere, quae esset illiquida, quam, nisi elegisset, non posset liquidam probare. Verum haec responsio veteris Glossatoris nihil quidquam solidi fundamenti habet: cum praesumat, debitum illiquidum esse debitum, adeoque concludat ab eo, quod dicitur secundum quid, ad dictum simpliciter; cui vero argumentandi rationi non est subscribendum: quia debitum illiquidum non magis est debitum, quam homo pictus est homo. Nam, quod non potest probari, id in Iure perinde habetur, ac si penitus non existeret, arg. L. 30 D. de testament. tutel. et in universum, quod non appetat ad oculum, id habetur, ac si nunquam extaret, L. 77 D. de contrah. empt. et vendit. Hinc nos ad illud dubium sequentem in modum respondendum esse existimamus: quod quidem Ius ipsum eligat in casu, si nimirum adest causarum diversitas, i. e. una causa altera gravior, aut antiquior, praesumingendo tunc in causam gravirem, aut antiquorem, solutum esse. Quod si autem nulla, memoratis qualitatibus affecta, causa inter plura extantia nomina se exserit, nullaque adeo inter haec differentia elucescit, sed omnia aequalia sunt, et par eorumdem conditio, ita, ut neutrum nomen altero antiquius, vel gravius, existat; eo casu olim aequa, ac hodienum, solutio simpliciter facta in omnes causas pro rata intelligitur, secundum Paullum, in L. 8 D. de solut. ita, ut hoc in casu creditor particularem solutionem invitatus admittere cogatur. Ast, creditore eligente, nullaque inter nomina existente differentia, sed omnium causarum paritate aequali; tunc utique interveniens creditoris electio efficit, ut solutum duntaxat in eam causam imputetur, quam ipse commemoravit. Hartmann. Pistor. Lib. III, Quaest. 21, num. 11; et Sichardus, ad L. 1 C. de solut. num. 16.

## SECTIO II

## SECTIO II

DE IMPVTATIONE LEGITIMA SINE  
INTERVENIENTE DEBITORIS VEL  
CREDITORIS ARBITRIO.

XV.

**Q**uod si vero, neque debitor, neque creditor, in solutione *Ordo imputacionis legitimae ex L. 97 D. de ordinem a Iure praescriptum, in L. 97 D. de solution.* Ibi: *Cum solution. ex pluribus causis debitor pecuniam solvit, utriusque demonstratione cessante, potior habebitur causa eius pecuniae, quae sub infamia debetur: mox eius, quae poenam continet: tertio, quae sub hypotheca, vel pignore, contracta est. Post hunc ordinem, potior habebitur propria, quam aliena causa, veluti fideiussoris: quod veteres ideo definierunt, quod verisimile videtur, diligentem debitorem admonitu ita negotium suum gesturum fuisse. Si nihil eorum interveniat; vetustior contractus ante solvetur. Si maior pecunia numerata sit, quam ratio summariorum exposcit; nihilominus primo contractu soluto, qui potior erit, superfluum ordini secundo, vel in totum, vel pro parte, minuendo videbitur datum. Vi huius Legis igitur, solutum ante omnia imputandum est in duriorem et graviorem causam; cui regulae concordat etiam L. 3 et L. 5 in princ. D. cod. Tit. quae durities et gravitas causae (ceu antea iam dictum) aestimatur, vel ratione famae, vel poenae, vel cautionis aut satisfactionis, vel denique ratione aliarum circumstantiarum.*

1) Ratione famae, gravitas causae sese exserit tunc, cum aliquid debetur sub infamia metuenda. Hinc, si inter plures causas debiti et crediti talis existit, quae ex dilatione periculum continet, ut debitor inde damnandus infamiam possit incurrire; quemadmodum contingit in actione furti, iniuriarum, et ex crimine stellionatus, L. 1 C. de crimine stellionatus: verisimile utique est, debitorem solutione sua infamiam prae ceteris evitare voluisse, L. 7 D. de solut.

*solut.* L. 8, §. 2 D. *quod metus causa gestum erit.* Menoch. Lib. III, Praesumt. 136, num. 1. Huc tamen famae periculum, ex pacto debitoris inducendum, sive ex obligatione bey Schelten. non referri debere putamus, arg. L. 27, §. 3 et 4, D. de pac<sup>t</sup>. et L. 22 D. de his, qui notantur infamia. Reform. Polit. de A. 1577, Tit. penult. et ult. Stryck, *de cautelis contract.* Sect. II, Cap. VI, §. 17. Sed et illa causa gravior, in imputatione soluti, habenda est, quae ipsius vitae, vel membra, conservationem respicit: nam haec sine dubio praevaleret, et ob eandem solutio magis in hanc, quam in causam famosam, praestita praesumeretur. Menoch. loc. cit. n. 3.

## XVI.

2) *ex causa poenali.*

2) Ratione poenae, gravior causa habetur, quando in causum solutionis non secutae certa poena obligationi est adiecta, §. 18 et 19 *Inst. de inutil. stipulat.* L. 38, §. 17 D. de V. O. Lauterbach, in *Diss. de poena conventionali*, thes. 70. Volum. IV; modo tamen poena nondum sit commissa: nam solutio facta in debitum poenale ideo imputatur, ne poena committatur. Menoch. Lib. II *arbitr. iud. quaest. Cas.* 493, num. 6. Hinc etiam ea causa gravior censetur, ex qua usurae sunt praestandae: unde in debitum usurarium prius, quam sine usuris contractum, solutum imputabitur. Nam ea fors usuraria usuras parit: hinc e re debitoris est, ut hoc incrementum latens obligationis quantocius tollatur, et prius imputatio fiat in sortem hanc, usuris quotidianis obligationem augentem. Hartm. *Pist. L. III, Qu. 21, n. 17.* Similiter 3) gravitas causae aestimatur, ratione pignoris et hypothecae, ob periculum distractionis, et in ordine satisfactionis, sive cautionis fideiussoriae; quia debitor implicavit secum fideiussores, et, si hos ipsos in ruinam secum mergeret, ipse fugillatione famae et existimationis, penes viros honestos, laboraret. Vivius, *Decis.* 379, num. 9. Mascard. *Concl.* 1320, num. 4. Nec minus 4) ad duriores causas pertinet debitum ex re iudicata, ex cambiis, aliquis instrumentis, paratam executionem habentibus, L. 103 D. de

3) *in debitu, cui pignora, aut fideiussores, accesserunt.*

4) *in causas, que paratam habent executionem.*

de solut. Eckolt, ad n. hoc Tit. §. 9 in med. quia urgent haec-  
ce credita debitorem, ob metuendam ubique executionem, et  
distractionem bonorum. Porro §) proprium debitum gravius  
habetur, quam quo quis fideiussorio nomine obstrictus est; ob  
communem hominum affectum, quo quis sibi magis bene esse  
cupit, quam alteri: Hilliger, ad Donell. Lib. VII, Cap. 8, post  
Lit. N. Hering, de fideiuss. Cap. XX, §. 8 in fin. dummodo fi-  
deiussio non sit facta sub obstagii pacto, Legibus Imperii non in  
totum adversante: Stryck, de caut. contr. Cap. I, Sect. II, §. 38;  
vel sub infamacione legali, nempe in casu iuramenti violati. Can.  
17, Caus. 6, Qu. 1. Ord. Crim. Caroli V, Art. 107. Stryck,  
de caut. contr. Sect. II, Cap. VI, §. 17. Post haec debita omnia,  
imputatio 6) praesumitur facta in debitum antiquius; quea causa 6) in debito  
antiquior, non ex tempore contractus, sed ex solutionis die, at-  
que eo, uter prius venerit, aestimanda est, L. 97 D. in fin. de  
solut. ibique Bartolus. Sed haec antiquitas tunc solum attendi-  
tur, quando omnes causae pares sunt atque aequales. Quod si  
vero etiam omnes aequae antiquae, et par dierum et contractuum  
causa adest; tum in omnibus summis pro rata et proportione pu-  
tatur solutum, L. 8 D. de solut. et L. 96, §. 3 D. eod. Tit. Ce-  
terum illud hic cumprimis notandum venit, quod hucusque a  
nobis adducta procedant, si omnia debita sint principalia: Carp-  
zov. Iurispr. Forens. Part. II, Conf. 29, Definit. 16. Menoch.  
L. III, Praef. 136; adeo, ut ex hac tenus recensitis concurren-  
tium, et simul existentium, plurium nominum qualitatibus unius  
debitoris, ordo imputationis soluti, a Lege praescriptus, haud  
difficulter cognosci atque observari, et secundum varias obveni-  
entes creditorum species diiudicari possit, in quam causam pecu-  
nia soluta accepto sit ferenda, ubi nulla, neque debitoris, neque  
creditoris, elecio intervenieret.

## XVII.

Quod si autem de uno eodemque debito, quod partim sor-  
tem, sive debitum principale, partim vero usuras, sive debitum  
D accel-

In debito  
sortis et usu-  
rarium, so-  
lutio prius

*in usuras, quam in sortem, imputatur.*

accessorium, continet, disquisitio vertitur, in quam causam solutionis facta sit reputanda; eo casu Iura suppeditant hanc regulam: quod solutum prius in usuras, et, si quid deinde ex illo superfluerit, in sortem sit imputandum, L. 5, §. 2 et 3 D. de solut. L. 1 C. eod. tit. L. 21 C. de usuris. Mev. P. VII, Decis. 211, num. 1. Carpzov. *Iurisprud. For. P. II, Const. 29, Def. 17.* ubi sequenti praeiudicio hoc assertum confirmat: So verbleibt es bey solcher Vergleichung billich / und/ was in Kraft derselben ausbezahlt bekommen / wird erstlich auf die von der abgehandelten Summe betagte und fällige Zinsen / und nachmals die Übermaß auf das Capital gerechnet. Evidem huius regulae ratio a Paulo Castrensi, in L. 1 D. de solut. haec traditur: quod odio debitoris id fiat, quia passus sit usuras currere, quasi in poenam negligentiae. Sed recte haec quidem relictur a Sichardo, in L. 1 C. de solut. num. 7, aliam suppeditante, ex L. 41, §. 1 D. de usur. quod nimurum debitum sortis et usurarum non sit diversimode considerandum: cum illud sit principale, hoc vero tantum accessorium, adeoque pro uno debito habeatur; ita, ut creditor non possit cogi sortem accipere sine usuris, quandoquidem particularis solutionis, secundum L. cit. 41, §. 1 D. de usur. non admittitur. At enimvero neque haec ratio satis apposita videtur; quia hic duntaxat quaestio est de praelatione solutionis, post factam solutionem. Illud potius in causa est, quod, si imputatio solutionis prius in sortem fieret, tolleretur sors, tanquam principale, sine quo usurae, ceu accessoria, consistere non possunt, L. 18 D. de novat. et delegat. L. 49, §. 1 D. de action. empti et venditi, et L. 4 C. depositi. Nam, quando corruit principale, nec subsistit accessorium, L. 2 D. de pecul. legat. Mev. P. I, Decis. 154, num. 7. Proinde, ne damnum incurrat creditor, Legibus constitutum est, ut ille, qui debet sortem et usuras, solvendo simpliciter, intelligatur soluisse in causam accessoriis, i. e. usuras, quae nequeunt existere sine sorte, cit. L. 4 C. deposit. nisi sint stipulatione promissae, L. 1 C. de iudicis: bene tamen sors potest sub sistere

*Ratio huius  
riti.*

sistere sine usura; nisi in casu, quo tutor prius in sortem debitam, vel venditionis pretium, solutum, in praeiudicium pupilli, acceptisset, et non in usuras: tunc enim usurae adhuc consistere putantur ad utilitatem pupilli, vel minoris; ita, ut imputatio tutoris soluti a debitore, in sortem facta, penitus sit rescissione iudicis irritanda, et res ad priorem statum reducenda. B. Dn. L. B. de Lynker, *Cent. XIV, Decis. 1300, in verbis:* Also / daß / ob gleich der Vormund nach und nach / durch particular-Quitungen / auf die Kauf-Gelder expresse quittiret / und die ganze Summe der 400 Rthlr. und noch darüber/empfangen/ dennoch dadurch die auf jede Zahlung gehörigen Zinsen nicht für geschenkt zu achten; vielmehr solche tacite reserviret werden. Auch nichts thut/dass der Unmündigen Zustand nicht gelitten haben würde/ das gesamte Capital auf Zinsen wiederum auszuleihen; sitemal genug / daß sie von diesem Capital dasjenige was der Debitor gebrauchet / zurückgelassen: und wann Hostorius sonst zahlen wollen/ er / der Sicherheit wegen / außer Gefahr gewesen seyn würde; indem er sub auctoritate Magistratus zahlen / oder deponiren können. So mag dorwegen Hostorius derer Zinsen von demjenigen / was jedesmal im Rückstand geblieben/ so wohl auch dessen / was auf ein- und andermahl bezahlet worden / sich nicht entbrechen.

## XVIII.

Non parum autem interest, utrum prius in sortem , an usuroras, accepto ferenda sit solutio: siquidem illo in casu, et cursus usurarum sistitur, et nomine earum, quae residuae manent, nihil amplius peti potest , L. fin. C. de usuris, L. 4 C. depositi ; cum e contrario , quoties in usuras tantum accepto fertur solutum , usurae porro currunt, indiesque augmentum capiunt : ut propterea longe magis e re debitoris sit, solutum imputare in sortem prius, quam in usuras; quia, vice versa , si prius usuris cedere deberet pecunia illa soluta , sortem haud extinguat tollatque. Durior hinc graviorque videtur causa sortis, utpote quae usuras

D 2 parit;

*Occurrunt  
dubio.*

parit; cum usurarum debitum nihil huiusmodi operetur. Atque adeo nostrae regulae, ~~a~~ tea proposita, quod solutio prius in usuras quam in sortem, sit imputanda, obstat videtur gravitas causae; quoniam sors quidem parit usuras, sed usura sterilis est, et nullam allam usuram producit: ut dehinc potius in sortem, ceu causam graviorem, quam in usuras, tanquam leviorem causam, solutio referenda videatur, per L. 3 in princ. D. de solut. potissimum, cum exinde appareat, I Ctos in hac re definienda secutos fuisse hanc cumprimis rationem, secundum quam verisimiliter existimandum est, diligentem debitorem negotium suum, idque magis urgens, gestisse, L. 97 D. de solut. Id quod etiam commovit Bartolum, in L. 1 C. hoc Tit. ut duriorem causam sortis, quam usurarum, existimaret esse, sive prius in sortem, quam in usuras, solutio- nem factam imputandam. Verum enim vero, ad huncce scrupu- lum submovendum, sciendum est, quod interpretes Iuris solu- tionem in duriorem causam, et in sortem prae usuris, admittant quidem in debitis aequae principalibus, L. 21 C. de usur. Sichard. ad L. 1 C. de solut. num. 15; et Hartm. Pst. Lib. III, Quaest. 21, num. 25. Secus autem se res habet, si altera obligatio debitoris est principalis, altera autem accessoria tantum, ut sunt sortis et usurarum debita. Eo enim in casu solutio semper facta refertur ad causam accessoriā, quantumvis leviorem, non vero in prin- cipalem; ne alias ipsi creditori, una cum sorte perempta per impu- tationem soluti factam, obligatio usurarum adimatur: Richter, Part. II, Decis. 74, num. 105. Brunnem. ad L. 1 C. de solut. adeo, ut si creditor acceptet solutionem, et in sortem, et in usuras, non obstante scripturae ordine, nihilominus prius in usuras solutio pecuniae imputanda foret, L. 5, §. fin. et L. 6 D. de solution. quia, licet ex ordine scripturae colligatur ordo intellectus, L. 34 princ. D. de usufructu: Cephal. Consil. 543, num. 8 et seqq. locum tamen hoc solum obtinet, nisi alia mens et intentio scribentis iure pre- sumatur, vel certo appareat. Cephal. loc. cit. num. 24.

XIX.

## XIX.

Enimvero, quae hactenus proposuimus de solutione prius in usuris, quam sortem, imputanda, intelligenda sunt 1) de usuris civiliter debitibus et liquidis; non autem de iis, quae adhuc liquidandae veniunt, neque etiam de debitibus naturaliter tantum, L. 5, §. 2 in fin. D. de solution. Hartm. Pst. Libr. III, Quaest. 21 extrem. Sand. Lib. III Decif. Frisco. Tit. XVI, Def. ult. 2) de usuris exigibilibus extra concursum creditorum: nam in hoc solutum potius in sortem, quam in usuras, ante sortem omnem creditoribus non redditam, intelligitur; parum adversante L. 18 D. qui portiores in pignore, vel hypotheca, habeantur. Richter, Decif. 74, num. 105; et de priv. credit. Cap. ult. num. 29 et 30. Tum enim demum pari passu cum sorte ambulat usura in concursu creditorum, si bona debitoris obaerati ad satisfactionem omnium creditorum sufficiunt; Rict. cit. Cap. VII, num. 36 et 38: quia aequum omnino est, ut magis iuventur illi, qui de damno vitando laborant, uti sunt creditores sortis, quam qui in lucro captando versantur, quales sunt creditores, usuras modo petentes: nisi Statuta, et mores provinciae, circa debita consensu judiciali, vel hypotheca publica, firmata, aliud induixerint. 3) capienda est illa in usuras imputatio de usuris legitimis, et Iure non reprobatis: unde, si, vel ultra quincunces, vel in altero tanto maiores, vel usuras usurarum, imputationem fieri velit creditor, Recess. Imp. de A. 1654, §. 174; L. 26, §. 1, L. 27 et L. 28 C. de usur. nec non L. 10 C. eodem Tit. et Nov. 121. Stryck, in usu modern. π. Tit. de usur. §. 10 — 18; eo in casu, facta solutione, pecunia non in eiusmodi usuras damnatas, sed in sortem cedit, dd. LL. et L. 26 in princ. D. de condic. indebit. Idem quoque sentendum est de annuis redditibus, ut solutum in his ultra quincunces sorti sit imputandum; maxime, si a venditore nullae futurae pensiones supersunt praestandae, arg. L. 35; in princ. D. de pignorat. act. et L. 5 D. de solut. Richter, Dec. 74, num. 11 et 13; nihil quicquam obstante dissensu Carpzovii, P. III, Conf. 24,

D 3

Def.

*Vjurarum,  
in quas prae  
sorte impa  
tatio soluti  
fieri debet,  
requisita:  
1) ut fini li  
quidiae.  
2) ut exi  
gantur ex  
tra concur  
sum credito  
rum.*

*3) ut legiti  
mum usur  
rum modum  
non exce  
dant.*

Def. 15, et Molinai, in *Tract. de usuris*: siquidem horum sententiam tunc demum admittimus, si debitor annuorum reddituum solutos ultra quincunes ipse velit imputare futuris pensionibus solvendis: nam alioquin Carpovii et Molinai argumenta contraria, a Petro Mullero ad *Struv. in notis lit. y* in medium producta, ad eorundem sententiam amplectendam nobis sufficere haud videntur.

## XX.

*Imputatio  
fructuum,  
ultra legit-  
mum usura-  
rum modum  
percepto-  
rum, infor-  
tem anti-  
chreticam  
quemadmo-  
dum fiat?*

Denique fructus quidem, in antichresi ultra quincunes percepti, pariter sorti imputantur; sicuti usurae illegitimae, ac redditus annui ultra quincunes soluti, sorti accedunt. Sed hoc potissimum, in ista perceptione antichretica fructuum ultra legitimum usurarum modum, in disquisitionem verit: num imputatio eius, quod singulis annis ultra debitum est perceptum, statim etiam singulis annis ita a debitore sit facienda, ut toties, quoties quovis anni tempore aliquid ultra debitum legitimarum usurarum modum fuerit a creditore perceptum, id sortem statim eo modo diminuat, ut, diminuta sorte perceptione lucri illegitimi, singulis etiam annis, annua pensio, vel fructuum perceptio, habeatur diminuta? Id quod quidem, ex placito I Ct i Vl piani in L. 26 princ. D. de condit. indeb. et Nov. 121, c. 1 et 2, nec non L. 26, §. 1 C. de usur. non nulli interpretes tueri conantur; quia, secundum hos textus, id, quod supra legitimum usurarum modum solutum est, sortem pro portione tollat: Ioh. Otto Tabor, *de alt. tant. P. III, art. 1, th. 12, et art. 12, th. 7*: siquidem compensatio, in casu huius debiti reciproci locum habens, permit creditum ipso iure pro rata, L. 4 C. de compensat. et quidem oppido ex eo tempore, ex quo utrinque aliquid debetur. Add. L. 14 C. eod. Tit. Huius sententiae et opinionis explicandae causa, schema formatae a quodam debitore eiusmodi imputacionis, et sortis singulis annis perceptione fructuum minutae, ex Actis notavit Stryck, in *usu modern.* ad Tit. n. de pign. aet. th. 8 per tot. At enimvero, quemadmodum tam imputatio, quam compensatio,


pensatio , vicem solutionis habet , secundum d. L. 4 C. de com-  
penſ. et L. 26 pr. D. de cond. indeb. nec non L. 26, ſ. 1 in fin. C. de  
uſur. creditori autem invito nulla obtrudenda eſt particularis fo-  
lutio, ob multa , quae habet , incommoda, L. 3 D. fam. herc.  
L. 41, ſ. 1 D. de uſur. Eckolt, ad π. Tit. de ſolut. ſ. 3 : hinc ve-  
rius ducimus , imputationem lucri, in vicem uſurarum particula-  
riter et indebite percepti , ex qua cunque cauſa illa demum de-  
ſcendat, a debitore ita solvente duntaxat fieri poſſe eo tempore,  
quo , vel totam fortem , ſecundum legem contractus , vel eius  
partem , reſtituit; ne iſipsum alioquin creditorem invitum , contra  
Iura et Legum praefcriptum , particulari ſolutione oneret , vele-  
dem , non iusto tempore , et ante diem , ſolvat. Lauterbach , in  
Difſert. de iure antichret. th. 62, Volum. I Tubing. Difſput.  
Carpzov. Iurispr. Forens. P. II, Conſt. 28, Defin. 13. Haec , pro  
inſtituti noſtri ratione , de imputatione ſoluti ex pluribus  
nominibus in medium proposuiſſe ſufficiat.

F I N I S.



2 L W I E





Altendorf, Diss., 1727

X 238 9190



B.I.G.



17 7 81  
EXERCITATIO ACADEMICA  
DE  
IMPVITATIONE SOLVTI  
EX PLVRIBVS NOMI-  
NIBVS 1727,5

Von

Anrechnung der Bezahlung bey mehrern  
verhandenen Schuld - Kosten.

J. B.

QVAM  
SVB PRAESIDIO

DN. HENRICI HILDEBRANDI ICTI  
SERENISS. DVCIS SOLISBACO - PALATINI  
PARITERQ. PERILLVSTRIS REIP. NORIMB. CONSIL.

ITEM ET IN HAC ALMA STVDIORVM VNIVERSITATE  
COD. IVRISQ. FEVD. PROF. PVBL. ET ACAD. SEN.

PATRONI ATQVE PRAECEPTORIS SVI  
OMNI HONORIS CVLTV AETATEM  
PROSEQVENDI

AD D. XVII KAL. SEPTEMBR. A. R. S. CIC 13CCXXVII  
IN CIRCULO ACADEMICO

DEFENDET

IOHANNES ALBERTVS SPIES NORIMB.  
PHILOS. MAG. ET IVR. CVLT.

ALTORFII

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

